



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

VIII. Paralipomena ad vitam S. Henrici & S. Kunegundis, in quibus, præter alia, inest Innocentii III. Pontif. Bullæ de Canonizatione S. Kunegundis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

424

PARALIPOMENA AD  
VITAM S. HENRICI ET  
S. KVNEGVDIS.

In Annalibus Bambergensibus manuscri-  
ptis, de quibus dixi, ad calcem vitæ O-  
thonianæ reperi hanc Bullam Innocen-  
tij Tertij Pontif. Maximi de Canoniza-  
tione S. Kunegundis.

**I**nnocentius Episcopus seruus seruorum D E I,  
venerabili fratri \* Theumoni Episcopo, & dile-  
ctis filiis Capitulo Babenbergenſi, salutem & A-  
postolicam benedictionem.

\* Thimo Epi-  
scopus Bamb.  
qui Orthone  
Largo succes-  
sor.

Cum secundum Euangelicam veritatem nemo accendat  
lucernam, & ponat illam sub modio, sed super candelabrum; ut Matth. 5.  
omnes, qui in domo sunt, videant: pium pariter est & iustum,  
ut, quos Deus merito sanctitatis coronat & honorat in celis;  
nos, veneracionis officio laudemus & glorificemus in terris:  
Cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est lau-  
dabilis, & gloriſsus in sanctis. Pietas enim promissionem ha- 1. Tim. 4.  
bet vite, qua nunc est, & futura, dicente Domino per Proph-  
etam; Dabo vos cunctis populis in laudem, gloriam & Matth. 13.  
honorem: Et per se pollicente; Fulgebunt justi sicut sol  
in regno Patris eorum. Nam, ut sue virtutis potentiam  
mirabi-

mirabiliter manifestet, & nostra salutis causam misericordia-  
ter operetur, fideles suos, quos semper coronat in celo, frequen-  
ter etiam honorat in mundo, ad eorum memorias signa faci-  
ens & prodigia, per qua prauitas confundatur heretica, &  
fides Catholica confirmetur. Nos ergo, charissimi, quantas  
possimus, et si non quantas debemus, omnipotenti Deo gra-  
tiarum referimus actiones; qui in diebus nostris ad confir-  
mationem Catholicae fidei, & confusionem hereticae prauita-  
tis euidenter innouat signa & miracula potenter immutat  
faciens eos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam  
corde, quam ore, nec non & opere tenuerint.

Inter quos beata memoria KVNEGVNDIS Romano-  
rum Imperatrix Augusta, que degens olim in mundo, ma-  
gnis meritis prepollebat; nunc, viuens in celo, multis coro-  
natis miraculis, ut eius sanctitas certis indicis comprobetur.  
Licet enim ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Deum in Ec-  
clesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, te-  
stante Veritate, qua dicit; quoniam, Qui perseverauer-  
it usque in finem, hic saluus erit: Et iterum; Esto fi-  
delis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vita:  
ad hoc tamen ut ipse sanctus apud homines habeatur in Ec-  
clesia militante, duo sunt necessaria; virtus morum, & vir-  
tus signorum, videlicet, merita & miracula, ut & haec  
& illa sibi invicem contestentur. Non enim aut merita si-  
ne miraculis, aut miracula sine meritis plenè proficiunt ad  
perhibendum inter homines testimonium sanctitati: cum  
interdum angelus satana transfiguraret se in angelum lucis:&  
quidam opera sua faciant, ut ab omnibus videantur. Sed  
& magi Pharaonis olim signa fecerant; Et Antichristus  
tandem prodigia operabitur, ut, si fieri posset, in errores ei-  
am inducantur electi. Verum, cum & merita sana proce-  
dunt, & clara succedunt miracula, certum prabent indicium  
sanctitatis.

*Exodus. 10.  
Matthew. 24.*

*Exodus. 7.  
Matthew. 24.*

sanc*tatis*; ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus & meritis precedentibus, & miraculis subsequentibus exhibet venerandum. Quae duo ex verbis Euangeli*st*e plenius colliguntur, qui de Apostolis loquens aiebat; Illi autem profecti prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & *Marc. 16.* sermonem confirmante sequentibus signis.

San*ne* cùm ad audientiam bone memoriae, Calefini Pape, prædecessoris mei, merita & miracula p*ra*fata Imperatricis, vobis referentibus, peruenissent; ut ipse de illis notitiam ciperet certiore*m*; inquisitionem eorum venerabilibus fratribus nostris Augustensi & Eistetensi, & bone memoriae VVirtuzburgensi Episcopis, & dilectis filiis Eboracen*s*, Lancheimen*s*, & Hailsbrunensi Abbatibus per Apostolica scripta commisit; post cuius obitum usq*ue* adeò manifestari cuperunt, & multipli*c*ari miracula, ut ex evidencia pariter & frequentia, sanctitas eius ab omnibus, quasi notoria predicitur; sicut ex multis testimonialibus literis Episcoporum, Abbatum, Præpositorum & Principum, nec non & aliorum multorum nuper nostro extitit Apostolatui referaram.

Venientes igitur ad Apostolicam sedem ex parte vestra dilecti filij N. Abbas Micheluelensis, Gundelus Decanus, Cunradus Custos, Marcus Archidiaconus, Hermannus Subdiaconus maioris Ecclesiae vestre, Lupoldus Diaconus S. Stephani, Burchardus Diaconus S. MARIAE, Heinricus Presbyter S. Michaelis, Heinricus Subdiaconus S. MARIAE, nobis & fratribus nostris humiliter supplicarunt, ut ex plenitudine potestatis, quam IESVS CHRISTVS B. Petro concessit, p*ra*-*Matth. 16.* nominatam Imperatricem Sanctorum Catalogo dignaremur adscribere, decernentes, eius memoriam inter sanctos ab Universis fidelibus de cetero celebrandam: cùm hoc sublime iudicium, ad eum tantum pertineat, qui est B. Petri successor & Vicarius IESV CHRISTI.

Hb

Nos

Nos itaq; cognoscentes, quod hoc re verā iudicium sublimis est inter catena iudicia iudicandum, in ipsius examinatione plenariam volumus adhibere cautelam. Et ideo prenominatos Iurisurandi religione constringimus, ut puram nobis super hoc dicentem veritatem. Qui iurari dixerunt, quod, sicut ex celebri fama & solenni scriptura nouerunt, B. KVNEGVDIS S. HEINRICO Imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Unde, cum Dominus Imperator ageret in extremis; Principib; & parentibus inquit de illa; Qualem mihi cam asignasti, talem vobis cam resigno: Virginem cam dedisti, & Virginem reddo. Suam ergo Virginitatem Domino conservauit, & seruavit intactam: ita quod, cum aliquando, instigante humani generis inimico, suspicio quadam contra ipsam fuisset exortea; ipsa, ut suam innocentiam demonstraret, super ignites vomeres nudū plantis incepit & procepsit illas.

Item sanctus Imperator HEINRICVS, & hac Imperatrix egregia KVNEGVDIS de propriis facultatibus BABENBERGENSEM fundauerunt Ecclesiam & dotauerunt: quam, cum suis omnibus pertinentiis ex seruore devotionis, quam ad Apostolicam sedē habebant, B. Petro Apostolorum Principi obtulerūt, annum ei censum, ad indicium, quod Iuris sit Ecclesia Romana, soluentem. Sed & alia plurima beneficia piis locis, & venerabilibus Ecclesiis contulerunt, Christum sibi facientes heredem.


Hac & alia retulere de meritis; de miraculis afferentes, quod eis presentibus & videntibus, ad memoriam huius Virginis, caci visum, claudi gressum, muti Verbum, & surdi recuperauerunt auditum, aliosq; languoribus impediti, frequenter & evidenter plenam consecuti sunt sanitatem: Et quod est mirabilis nouitatu, & noui miraculi; puluis de tumulo eius assumptus, sepè conuersus est in frumentum.

No:

Nos ergo de meritis & miraculis eius multis & magnis  
non solum testimonis, sed & testibus certiores effecti; cum se-  
cundum Prophetam, laudandus sit Deus in sanctis suis; psalm.150.  
de Fratrum nostrorum consilio & Pontificum multorum apud  
sedem Apostolicam existentium, ipsam Beatam Virginem KV-  
NEGVDI in Catalogo Sanctorum adscripsimus, eiusq; me-  
moriam inter sanctos decreuimus celebrandam.

Quapropter uniuersitatem vestram monemus &horta-  
mur in Domino, per Apostolica scripta mandantes; quatenus,  
quod nos solenniter & caute statuimus, vos humiliter, & de-  
uotè seruetis, ut meritis eius & precibus apud misericordissi-  
mum iudicem indulgentiam consequamur.

Collectam autem & alias orationes in commemoratione  
eius dicendas, edidimus, quas in hac pagina duximus subscripti-  
bendas. *Oratio:* Omnipotens & misericors, DEVS,  
qui à gloria tua nullum excipis sexum, nullamque con-  
ditionem excludis, te suppliciter exoramus; vt, sicut  
Beata KVNEGVDI Virgini tua post terreni culme  
Imperij coelestis regni solium contulisti: ita meritis e-  
ius, & precibus, nobis quoque famulis tuis aeternæ felici-  
tatis præmia largiaris. Per Dominum. *Secreta;* Sa-  
crificium laudis tuae tibi, Domine Deus noster, offeri-  
mus, tuam clementiam implorantes, vt, per huius Sa-  
cramenti virtutem, intercedente Beata KVNEGVDI  
Virgine tua, nos & à peccatis expediás, & à pericu-  
listucaris. Per Dominum. *Complenda:* Sacra-  
mentum redēptionis humanæ, quod in honore Beatae  
KVNEGVDIS obtulimus, tibi nos, Domine, reddat  
acceptos, vt per hoc, quod & accepimus ipsi de tuo, &  
suscepisti de nostro, in tui semper uione viuamus: Qui  
cum Patre. *Datum Laterani, III. Nonas Aprilis, Pontif-  
fatus nostri anno tertio.*



## EX IISDEM ANNALIBVS.

De S. Henrico.

**H** A germen Saxonum; culmen Bauarorum; Palatinorum Rheni honor; Decus Germania; Imperij gloria; Ecclesiae singulare ornamentum; Et totius Orbis stupendum miraculum. Sacratissime Imperator HEINRICE; te diligentes intuere; & fac tuis meritis & precibus; ut tui cultores fieri mereantur virtutum tuarum pro posse; imitatores; quatenus vestigiis tuis in harentes, gaudeamus hictu semper patrocinio; & tandem beato in cælestibus tuo confortio, Amen.

## De S. Kunegunde Virgine &amp; Imperatrice.

**K** A mundi Domina; sed & CHRISTI ancilla; culi contemptrix, & religionis cultrix; viro nupta; sed Virgo immaculata; Sanctissima KVENCUNDIS; te diligentes resoue; maternè te invocantes exaudi benignè; impetrando nobis peccatorum veniam, mentis & corporis salutem, contemptum terrenorum, cælestium desiderium; cordis & carnis castitatem; Dei timorem & amorem, finem felicem; & posthanc miserabilem vitam, perpetuæ beatitudinis gloriam, Amen.



Ex

## Ex iisdem Annalibus.

**E**Berhardus Bauariæ Dux sedis Babenberensis nonus; vel secundum aliam computationem, decimus Episcopus, circa annum Domini M. C. XLVI. Hic anno Domini M. C. XL. VII. tertio idus Iulij corpus S. HEINRICI Imperatoris transtulit, magna adhibita solennitate; Eberhardo Archiepiscopo Salzburgensi, & Hermanno Episcopo Brixinensi presentibus, suamque autoritatem in ea re interponentibus.

In Notis ad Caput XXII. Vitæ S. Henrici retulimus ex Apographo Bambergensi cauſam, cur S. Henricus Imp claudicari: quæ narratio lacunis non caret: quam ex Annalibus Bambergensibus à Schedelio exscriptis adscribam, ut planius intelligatur. Sunt etiam, qui afferunt, fide dignorum relatione compertum, hū temporibus Henricum stupendo miraculo claudum effectum. Etenim aiunt fuisse Ecclesiam in concavitate Montis Gargani situatam, qua non ab homine ædificata, neque per hominem dedicata, sed diuinæ potius operatione exstructa, ut creditum est, & consecrata fuit, vbi Angelorum concentus, singula quaque hebdomada, ab his qui digni habiti sunt, audiebatur. Ad quam cum orandi gratia Rex sanctus cum suis diuertif- set, adueniente hora, qua Angelorum exercitus de more properandus erat, vir sanctus meritis suis exigentibus, ut exclusis aliis omnibus soli sibi remanendi daretur facultas. Quo deinde flexi genibus effusisq; lacrymis obnoxius orante, vidit Angelorum copiosam multitudinem Templum san- flum ingredientem. E quibus duo maius altare repente stipabant, reliqua legione in modum fulguris coruscantibus subsequentes: E quibus unus vñus primas deducebatur: hunc ego Michaëlem Archangelum fuisse crediderim. Vedit deinde Angelorum Dominum in sua maiestate venientem, comitan- tes sanctorum incredibili caterua. Demum inter psallendum textus sacri Euangeli ab uno Angelorum primum Dominice personæ deosculandus da- tus fuit. Quo facto, innuit Angelo, ut Imperatori quoque retro in angulo latitanti, pacis osculum preberet. Vir autem sanctus ad tam insolitam diuinæ maiestatis & gloriae visionem conterritus, suspicere non audebat, An- gelus hoc videns, femur Henrici leuiter tangens, ait; ne timeas electe Dei, velociter surge, atque hoc signum pacis diuinitus tibi transmissum suscipe.

Hb 3

Ex

Ex ea autem hora semper sancti Regis, contactu Angeli, ita marcere caput, ut post hoc nunquam claudicare desierit, tametsi in primis rectus incedere consueuerit. Simile beato Iacobo antiquo tempore accidisse, sacris scripturis traditur. Aliunt præterea huius miraculi testimonio imaginem sancti Regis ante portas cathedralis Monasterij positam esse lapillo sinistro pedi in signum claudicationis supposito, quod adhuc ex eundem ad dextram patet.



## IN HISTORIAM SE- QVENTEM DE VITA ET RE- BVS GESTIS HENRICI Imperatoris.

**A**Ccepimus eam Vienna ab antiquitatis studiosissimo indagatore Domino SEBASTIANO TENG-NAGEL. Ad marginem codex hunc titulum praeferebat. Vita Henrici primi Imperatoris ab Adelboldo Episcopo Traiectensi, ut creditur, conscripta. Vbi vocula, ut creditur, scrupuluminisciunt, num habet illa ipsa vita cuius Adelodus, seu Adelboldus Auctor fuit; quem tamen res gestas S. Henrici literis consignasse testificatione Sigeberti in Catalogo virorum illustrium, & Trithemij in simili opere illustrium virorum per Germaniam, certum exploratum habetur. Audi Trithemij verba.

Adelboldus Episcopus Traiectensis ex Monacho Ordinis Diuini patris Benedicti, &c. vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, vita & conuersatione præcipuus, & ob eas virtutes in Cu-

ria

ria S. Henrici Imp. magno in precio habitus. Scripsit  
nonnulla haud contemnenda lectionis opuseula, qui-  
bus nomen suum posteris notificauit. Equibus exstat  
vita & gesta eiusdem sancti Imp. Henrici lib. i. De lau-  
dibus S. Crucis lib. i. De laudibus quoque S. MARIAE  
lib. i. Varios etiam sermones in laude Sanctorum edi-  
dit, & alia multa tam metro; quam prosa, quæ ad no-  
titiam meam non venerunt: Moritur sub Conrado  
Imp. II. Anno Domini MXXVII. Indict. X. Episco-  
patus sui Anno XIIIX. V. Kalend. Decembris. Hec  
Trithemius. Sed siue hac sit ea, quam Adelboldus scripsit Vé-  
ta, siue non; illud optandum erat; ut mutila non esset.

Sed damus quod possumus: quando non licet  
quod volumus.



## VITA